



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica sexta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

num! ut mereamur, ad noctem quotidie 7. *Pater & Ave* in honorem septem Verborum Morientis in Cruce Jesu persolvamus, & quidem pro omnibus, & singulis, qui nos offenderunt, aut contristârunt. Nunquid redditur pro bono malum? Apud impios. Christianus didicit in bono vincere malum.

Dominica VI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

INanes hodie prohibet curas Christus Dominus, & vanas sollicitudines circâ transitoria, dum mandat: *Quærite primùm Regnum Dei; cætera adjicientur vobis.* Extrâ, quidquid quarimus, aut affectamus, jam nostra infelicitas est. Et hanc quis appetet?

Instructio meritoria.

A sæculi nugis, & actibus ut liberemur, & liberè ad coelestia, ac immortalia avolemus nostris desideriis, frequenter hodie vel soli in cubiculo, aut devoti in templo studeamus esse, & pro impetrando perfecto sæculi contemptu in honorem totius Ætatis Christi 34. *Pater*

Et Ave oremus. Ludere expedit cum mundo, ne ludamur ab eo.

II.

Fili! Alloquor vos hodie verbis S. Richardi à S. Victore rogantis: *O infelix anima! Et misera! usquequo sollicita es, Et turbaris erga plurima! porro cum unum sit necessarium, tandem aliquando fige desiderium, dilige unum.* O Unum! & hoc ô dilecte! quanto nobis est pretio? vix modico. Detestemur ignaviam! deploremus errorem. In uno omnia.

Instructio meritoria.

Pro omnibus, sive Religiosis, sive Laicis sæcularibus in negotiis mundanis ex officio detentis, ut seipos non negligent in puncto salutis æternæ, hodiernam sacrificii auditionem cum SS. Rosario offeramus Deo. Præmium erit nostrum, fovisse pietatem.

III.

T*Riduo jam sustinent me,* ait Christus de suo dilecto populo. Non murmuravit, non indignabatur, sed patienter Dei expectabat voluntatem? ideò & gran-

grande prodigium, quod hodie coràm
cernere meruit, in multiplicatis pani-
bus. O si nos Deo committeremus,
nostrásque curas, in eum jaçtaremus,
quàm pacifici, quàm hilares, & quieti
ambularemus. Fili! murmur, ira, im-
patientia quid profuit? nihil, quin no-
cuit plurimùm.

Instructio meritoria.

Preces mensales cum summa devotio-
ne persolvamus, de cibis vilioribus li-
bentiùs, & studiosiùs sumere assuesca-
mus; pretiosioribus verò nos indignos
reputemus. Post mensam visitemus
Sanctissimum, & pro liberali conserva-
tione, ac sustentatione nostrùm 15. *Pa-
ter & Ave* recitemus. Gratis cor Jesu,
& Dei beneficia in templo stant nobis
aperta. Cur petimus nihil?

Dominica VII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Tremenda verba! *non omnis*, ait
hodiernum Evangelium, qui di-
cit: *Domine! Domine! intrabit in re-
gnum cælorum.* O fili! factis opus est,

E 6

non